

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

copiosius scribere. Commendo te gratiæ DEI cum uxore, filiis, Obrechtō & toto presbyterio. Basileæ, 7. Novembris, Anno 80.

Tuus ut semper ex animo

Sulcerus.


XXVII.

(Philippo Marbachio.)

S. D. Reverende & clarissime Domine Doctor.

Quod nepotum meorum patrocinium fidele isthic suscepisti, ac Davidi Razio locum in *moderate* tuis *honoribus* vestro conferre dignatus es, reverenter tibi gratias ago, teq; oro, ut inchoatum beneficium pertexas, & cum eò venerit adolescens, paterna fide eum complectaris. Cogito ad nondinas Lipsicas novi anni eum ablegare, ut inde cum aurigis Francofurdianis ad Mœnum perveniat. Quæro ut consilium tuum mihi indices. Sturmio nimis seriò frenum injicietur, cum omnem virulentiam in omnes, quos odit, jam effuderit, nec video, quid addere priori maledicentiæ possit. Magirum, me ignavo cessante, patrocinium veræ sententiæ Confessionis Aug. suscepisse, lætor. Intelligebam ex tuis literis, patrem etiam tuum aliquid opposuisse, quod nondum mihi videre licuit: Epidemia hæc lues filiam Sophiam mihi abstulit. Obiit & Johannes Senior, Holfatiæ Dux, Adolphi frater, Friderici Daniæ Regis patruus, qui vinculum concordiæ inter Danos & Holfatos huc usque fuit. De Bibone vestro, & Scallingio Ambergense cupio à te doceri, an vobis se in confessione conjunxerint? Bene vale. Idibus Novembris.

David Chytraus.



XXIIX

(Philippo Marbachio.)

S. D. Reverende & Clarissime vir, amice colende.

Redit ad vos tabellarius noster, per quem, si quid interea illi categoricè responderunt de nepotum meorum negotio, significabis. Davidem Razium, Pfædersheimensem, valde ingeniosum, & feliciter in schola patriæ tuæ institutum adolescen-

lescentem, patri etiam tuo notum esse arbitror. De Formula concordia lætor, eam tandem isthic comprobata esse. De Edone verò scire velim, an grata ipsius recusatō Electori & aulicis illius Doctoribus existimetur. Bremæ unus supererat nostræ Confessionis adjunctus minister, Jodocus Calaneus, qui solus in illa urbe Formulæ subscripsit. Illi remoto, Christophorus Pezelius vel Widebunus (ambo enim Bremæ fuerunt) succedere dicitur, fremente & indignante archiepiscopo, qui tamen Senatui & civibus in urbe consentientibus adversari non potest. Controversiam cum Matthia Bergio, cujus meministi, sopitam esse intelligo. Inter Kemnicium & Jacobum quid agatur, planè ignoro; neuter enim ad me scribit, nec per literas, inter absentes à tanto intervallo distitos, effici quidquam potest. Spero autem ipsos pro pietate & sapientia sua, quid extrema nostrarum ecclesiarum necessitas flagitet, consideraturos esse. A Pontificiis, qui speciosissimè nobis discessionem à primo confessionis Augustanæ sensu in multis articulis objicient, ferè magis quam à Sacramentariis, Formulæ metuo. Lycophroni illi Neapolitano Patrem tuum respondere nuper scribebas, tametsi optarim, communi ecclesiarum nostrarum nomine Apologiam gravem & nervosam procacibus illis opponi: nisi Herculeo vel Lutherano robore prædita sit. Ego ut gregarius aliquis miles meo loco operam conferre non recuso. Benè vale. Quod de Rege Daniæ & Edone scribo, à me profectum dici nolim. Sed totam epistolam lectam inflammabis. 24. Septembris.

Cujus manum & animum nosti.



X X I X .

(Erasmo Marbachio.)

S. D. Reverende & Clarissime Domine Doctor.

Filiam DEI ἀρεσάμων σουτήρα ἰνὴ ἐσεῦ ἤδη τίςτωι, à cujus Genethliis, quæ salutis nostræ exordium fuerunt, Anni etiam principium in ecclesia ducimus, toto pectore precor, ut Tibi & clarissimo Patri tuo, optimè de ecclesia merito, & toti ecclesiæ & Reipublicæ vestræ Annum felicem, tranquillum & salutarem tribuat, & nos omnes gubernet, doceat & servet. Apud nos epidemia lues, per totam Europam, ut intelligo, vagata, mense Octobri tum alios in hæc urbe, tum verò filiam meam Sophiam sustulit, ita ut septem jam liberos, in cœlestem patriam, brevi subsequiturus, præmiserim. Quorum Epitaphia in unum libellum collecta, fratri Philippo Heidelbergam ante aliquot dies misi.

L I I I

De